

Matthias Stein

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Matthias Stein/ I. U. D. & Codicis Profess. Publ. Ad Deducendum Frequentibus Exequiis Funus Viri Iuvenis ... Dn. Joh. Christiani Sandritters/ Lipsiensis SS. Theologiae Et Philosophiae Studiosi Omnes Omnim Ordinum Cives Academicos ... invitat : [Conventus ... d. 6. Martii Anno M.DC.XCIX.]**

Rostochii: Wepplingius, [1699]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn775780960>

Druck    Freier  Zugang



Stein, M.,

in


J. Chr. Sandritter.

Rost.(1699.)

27.







PROGRAMMA  
QVO  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
MATTIAS Stein.  
ALB. BEDELL & Codic. Profess. Publ.  
AD EDITIONEM FREVENTIBUS EXEQVIIS  
FUNUS  
VIRI JUVENIS  
PRÆ-EXIMI DOCTISSIMIQUE  
DN. JOH. CHRI-  
STIANI Sandritters

LIPSIENSIS

SS. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE STUDIOSI

Omnes Omnia Ordinum Cives Academicos

sedulo & officiose Invitas.

ROSTOCHII,  
Typis JOH. WEPPLINGERI, Univ. Typogr.



# I. N. J.



Nter varia , qvæ à priscis Philosophiæ tribuuntur , elogia , aut honorarios titulos , locum qvoq; habet , qvod Patoni in Phædo ne dicitur *Meditatio Mortis* , si cuti & ex Cicerone Lib. i Tusc: qvæst: & Macrobio Lib. i. in Somn. Scip: aliisqve videre li- cetur. Qvæ Platonica Philoso-

phiæ descriptio , ut pro accuratâ definitione Logicâ , cum ad leges Dialetticorum non quadret , vulgo nec ha- betur , nec haberri potest , sic qvoqve ab interpreti- bus metaphorice tan'um accipitur , non propriè , ita ut meditatio mortis denotet ipsis mortificationem affectu- um ; sed , talem cognitionem , quæ donea sit ad comprehen- dos animi motus , quod est Philosophie practicæ , ut loqui- tur Dn. Hartknoch in Coll. Phil. protem. Notum enim est , non tantum Ecclesiæ Christianæ Patres , ac Philosophos Christianos , sed & ipsos Ethnicos tri- plicem statuere mortem , scilicet , *Nature* , seu *tempo- ralem* .

*rialem*, qvæ in dissolutione animæ & corporis confi-  
stit, qvâ homo propter peccatum naturaliter moritur,  
& vivere, i.e. actiones naturales edere, cessat, *culpe*  
*seu eternam*, qvâ impii ob finalem suam impietatem,  
à communione cum Deo & Salvatore nostro, qvi, & in  
qvo uno, est vera vita, itemqve cum omnibus sanctis,  
*gravissimâ*, remoti ac alienati, in hâc vitâ inchoative,  
in alterâ vero consummative æternum moriuntur, &  
*gratia* seu *spiritualem*, qvâ homo peccatis, mundo ac  
sibi ipsi moritur, ut Deo & Servatori suo unicè vive-  
re possit; qvod fit, dum voluptates mundi conte-  
minuit, affectuumqve suorum illecebras pro viribus sup-  
primit, atqve animum suum ad cœlestium divina-  
rumq; rerum contemplationem ac consecrationem  
tantum elevat atqve dirigit. Nullum trium horum  
mortis generum Ethnicis prorsus latuisse credo,  
cum singulorum expressam in scriptis suis faciant men-  
tionem: de primo dubium ipsis esse planè non potuit,  
semper enim & quotidianè exempla defunctorum ipsis  
æque fuerunt obvia ac nobis, dum scilicet unum post  
alterum decedere, atqve effterri viderunt, ex qvo facile  
colligere potuerunt, qvod Seneca habet, Lib. 6. natur.  
qvæst: *Mortem nature legem, & tributum officiumque*  
*mortalium esse.* Nec secundi generis mortis omnino  
nescii fuere Ethnici (qvamvis negari non possit, qvod  
status impiorum post hanc vitam infelicissimus longè  
clarius nobis in sacris literis describatur, ac naturâ  
patet) ejus enim luculenta satis testimonia in monu-  
mentis eorum deprehenduntur, dum non modò tarta-  
ri, averni, orci, erebi & infernorum existentiam qvâm  
sæpiissime memorant, sed & cruciatus infernales bo-

nam partem verbo Dei congruenter delineant, scilicet primo, quod ad hominum damnatorum pluralitatem seu multitudinem, quod pertinet illud Ovidii 4. Metam:

Mille capax aditus, & apertas undique portas  
Urbs habet, utque fretum de tota fluminata terra,  
Sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli;  
Exiguus populo est, turbamque accedere sentit &c.

Quo & illud, quando Senecæ longus ad manes dicitur properare ordo agminis mortali, & Silio, tunc demum Erinnys Junoni laudata redire, cum magnam secum rapit turbam sub terrâ &c. Dein quoad ipsas penas infernales, quibus Deus justissimus Iudex secundum proportionem ac gradus scelerum suorum unumquemque afficiet, quam de re pluribus agit Virgilii Lib. 6. Aeneid. & Ovid. I c. ut nunc alios non adducam. Tandem quoad durationem cruciatum infernalium, scilicet, quod æterni sint futuri, nec habituri finem, quid clarius dici potest, quam illud Ovidii saepe citati.

Nec mortis penas mors altera finiet bujus,

Horaque erit tantis ultima nulla malis;

Aut illud Senecæ: gradum retrò fleclare baut umquam  
finunt umbra tenaces, & post pauca: nemo ad id se-  
zò venit, unde nunquam, cum semel venit, potuit re-  
verti. Hæcine omnia cum Scripturâ S. fatis congruunt? & primum quidem cum dictis Ef: 5. 14. Matth: 7. 13. 14. Luc: 13. 24. Secundum cum dictis Matth. 23. 14. Luc. 10. 12. cap. 12. 47. &c. Rom. 2. 6. Sapient: 6. 6. &c. Tertium cum dictis Ef: 66. 24. Apoc. 9. 6. Matth: 5. 25. &c. Cap: 25. 46. 2. Theff. 1. 9. &c. Plura non addo: ex his autem satis liquet, omnino gentilibus de morte æternâ, & penis infernalibus constitisse, quamvis, ut queritur

qveritur Apostolus Rom: i. 21., in commentis suis vāni  
facti s̄unt, dum situm, locum, qualitatesqve inferno-  
rum investigare ac repræsentare studuerunt, certos iis  
principes præficiendo, Plutonem sc: & Dœmonem cum  
Proserpinā, certos judices, ut sunt: Aēacus, Minos,  
Rhadamantus, eō, qvod hos in vitâ justissimos fuisse  
crediderunt, certas Furias, qvæ agitarent damnatos,  
ut: Alecto, Megæra, & Tisiphone ; imo flumini-  
bus certis ea incluserunt, ut sunt Acheron, Phlegeton,  
Styx, Lethe &c. ubi Portitor est Charon, janitor vero  
Orci Cerberus, &c. mera figura, mera vanitas ! Me ju-  
dice satius fuisse, verā viam, qvomodo pœnas inferna-  
les effugere potuissent, qværere, qvām talia sine funda-  
mento fingere. Nec tertiu genus mortis Ethnicis plane  
incognitu fuit, licet enim & hic negari non possit, qvod  
mors illa gratiæ, qvæ propriè Spiritualis dicitur, per  
singularem Spiritus S. operationem perq; ordinaria,  
eaqve efficacissima media, verbum sc: & Sacramenta,  
in cordibus fidelium producatur, & sit gradus longe  
excellenterioris, imo, multis qvoq; modis differat, ab  
illâ Ethnicorum suppressione affectuum seu mortis  
genere, tamen abjud cari illis plane non potest, qvod  
per vires naturæ mundo ejusq; voluptatibus qvodam-  
modo aut mortui sint, aut mori studuerint, & qvid hâc  
in re præstiterint nonnulli, de Sectis Stoicorū & Academicorū,  
cujus ultimæ Princeps fuit Plato, pleni sunt  
libri, plenæ memoriæ. Qvando ergo sæpe laudatus  
Plato Philosophiam appellat Meditationem mortis, si  
ex propriis ejus principiis, ceu fas est, id explicare vo-  
luerimus, haud aliter, qvām, ut jam antè dictum, me-

taphorice ac impropriè pro suppressione affectuum  
id accipere poterimus. Nihilominus tamen si quis Christianorum verba illa Philosophi in proprio ac genuino  
sensu, de mortis naturalis meditatione interpretari, eaq;  
conversa sua facere velit, dicendo, meditationem mortis  
esse Philosophiam, eum à veritatis tramite haud longè recessurum credo. Etenim quid est Philosophia, si  
nomen spectes, quām amor aut studium Sapientiæ, si  
rem, quām complexus omnium artium atque scientiarum,  
aut quibus ea modis comparatur, nisi continuis & indefessis meditationibus? At quæ major est Sapientia, aut quæ potior ars, quām ars benè beatèque moriendi; omnes artes Philosophicæ, quotquot earum sunt, usum suum præstant tantum in hâc vitâ, at hæc, non modò in hâc, sed & in alterâ, in comparabilem. Hinc & Zeno sapientissimus Philosophus, cum ab Apollinis oraculo sciscitaretur, quomodo vitam bene agere posset id responsi accepit, teste Laertio: *morteos consule, et ab iis quid sit faciendum discere*, quo significare voluit oraculum optimam & utilissimam sapientiam huic Philologo adhuc deesse, eamque non nisi in mortis mortuorumq; sedulâ meditatione consistere. Hinc & Psalmista orat: *Ps. 90.12. Docce nos Domine, numerare dies nostros, ut applicemus cor ad Sapientiam.* Omnis philosophia profine habet Summum Bonum, idq; vel Theoreticum vel practicum, sed quishominum, id perfecte & omnibus numeris absolutum conseqvitur? At ars moriendi dicit nos ad vere summum & perfectissimum bonum, ad ipsam æternam salutem, quâ nihil perfectius, quod in hominem caderet, dari aut excogitar potest. Summum Bonum, quod est finis Philosophiæ, dicitur

dicitur esse operatio secundum virtutem optimam  
& perfectissimam in vita perfecta, sed ubi hic virtus  
perfectissima, ubi vita perfecta? At, o homo, mortem, tan-  
quam finem omnium rerum, meditare, & nunquam  
peccabis, sed semper operabere bonum. Syr. 7. 40.  
O ergo felices mortalium, qui in hac philosophia sc:  
mortis meditatione sedulo se exercent, qui quotidianie de  
mortis horâ cogitant, & juxta illud Poëtae, *omnem*  
*sibi diem illuxisse supremum credunt*, hi enim se  
ipsos, qui sint, & mundi vanitatem, recte agnos-  
cent, seqve ita per veram fidem præparabunt, ut  
omni tempore, imo omni momento, quo Deus vo-  
luerit, in pace decedere, & temporalem hanc vitam  
cum illâ æternâ beatè commutare possint. Et haec  
meditatio quidem subinde sollicitum habuit piè dé-  
functum nostrum DN. JOH. CHRIST. SAND-  
RITTERUM, Philosophiae Baccalaureum digniss. &  
ss. Theol. Studio sum peregrinum, cuius Personalia,  
ut vocant, utque abs Viro Præcell: atque Clariss. DN.  
JOH. Gottlieb HOFFMANNO, Artium Doctore feli-  
cissimo, piè defuncti Dn. Conterraneo, & amico nostro  
æstimatissimo, ea accepimus, pro more atque consuetu-  
dine hic subjicimus. Natus autem est ille Lipsia, anno  
seculi finem suum jam jam attingenit, M. DG. LXXIV.  
d. 21. Septembr: Patre GOTTOFREDO SAND-  
RITERO, inter Cives Lipsienses honestissimi nomi-  
nis Viro, & Artis pectoraria ibidem primiceri, Matre  
verò DOROTHEA, nata ANGERMAN-  
NIA. Qui b. Defuncti parentes, quanto cordis dolore,  
quantâ animi tristitia filii sui dilectissimi mortem perce-  
perint, & adhuc percipiant, literæ eorum ad nos datae,  
lacry-

lacrymisque madide, abunde testantur. Avo paterno gen.  
debat Viro itidem bona nota, JOHANNE SANDRIT-  
TERO, Cive ac Mercatore Lipsiensi, Aviā paternā, fæmi-  
nā laude dignissimā, SABINA ex RATERORUM stirpe oriun-  
dā; Maternum amabit Avum, Virum integerrimum, AM-  
BROSIUM ANGERMANNUM, Civem & Panni-  
ficem penes Lipsienses quondam palmarium, Aviam Ma-  
ternam fæminam virtutibus ornatissimam ELISABE-  
THAM, GEORGII SIEGFRIDI, mercaturam Lis-  
piae feliciter olim agentis, filiam. Natus autem B.SAND-  
RITTERUS, uti tota Adami posteritas, in peccatis, qui  
cœlesti patriā potiri, nisi regeneratus per Baptismi fontem  
saluberrimum, non poterat. A parentibus ergo mox die  
XXII. Sept. non tantum Ecclesia Christiane commissus est,  
ut heres eterna beatitudinis scriberetur, sed cum post ex-  
actos prima infantia annos indolem ostentasset ad studia  
band inceptam, statim traditus est præceptoribus variis priva-  
tis, qui omnes, sum in Religionis aetere pietatis fundamen-  
tis, tum in studiorum & Eruditionis rudimentis, formarunt  
hunc tanta cum diligentia, eoz, cum successu, ut dignus mature  
immatriculatione, ceu dicitur, Academicā omnibus videret  
ur. Exantato igitur in humanioribus literis tentamine  
laudabiliter, consensu dilectissimorum suorum parentum Ci-  
vem Academie patriæ dare coepit, anno M. DC. XCIII.  
atque Præceptoribus usus est, partim in Philosophicis, par-  
tim in Theologicis, partim in Homileticis, Viris Magnificis,  
Summè Reverendis, Amplissimis, Excellentissimis, Pra-  
cellentibus DNN. DN. B. D. GEORGIO MOE-  
BIO, Theologo veterano primario, DN. D. JO-  
BEN: CARPZOVIO, Theologo, Oratore sacro, &  
Sacerdutarum Interpretē per orbem longē celeberrimo, DN.  
D. VAL-

DN. B. D. VAL: ALBERTI, Panoplo & Theologo non comparando, èrū pro dolor! èrū àjouis, DN.  
L. THOMA JTTIGIO, Theologo, Concionatore, in-  
que Antiquitatum studio facile Principe, DN. L. ADAM  
RECHENBERGIO, Historico, & Grac. Litt. Doct. DN:  
JOH: SCHMIDIO, Theol: & Eloq: Prof: DN:  
Friedr. Gottlob SEELIGMANNO, Theologo Ex-  
traordin. & Oratori facundiss: DN: L. VALENT:  
FRIDERICI, Lingg: Orient: Doctore, DN: M: JOH:  
GUNTHERO, Orat: Sacr: DN: M: JOH: Gottlieb  
HARDIO, Philosopho, & DN: M: HENR: PIP-  
PINGIO, Concionat: ad ad: D. Nicol. Sabbatice.  
Quorum, ad unum omnes cum laude positorum scholas fre-  
quentavit summa assiduitate, fervidissimoque studio,  
atque inde tantam hauſt doctrinarum ubertatem,  
ut eruditionem ejus quilibet, qui cum ipso conversare-  
tur, laudaret, ipseque primas Philosophiae baccaſ ambi-  
re haud detrectaret, quas impetravit quoque d. XXV. A-  
pril. Anno M. DC. XCVI. Nibil itaque nunc super erat,  
quam ut compos etiam fieret voti illius, exteris Academias  
as itidem invisendi, & ecce, hic quoque commoda preter o-  
pinionem fese obtulit anno sup: occasio, ubi Vir integerri-  
mus antiquaque virtutis ac fidei, DN. LAUREN-  
TIUS BUNSOVIUS, Civis Rostochiensis, & mercato-  
rum haud ultimus, ad Lipsensem Academiam mittere stu-  
diorum gratia filium suum allaborabat. Initia igitur sie-  
dicta permutatione B. Defunctus SANDRITTERUS,  
ad almambanc Rosarum M. DC. XCIX, Mensē Jun: ve-  
nit, inque BUNSOVIANA domo victu ac hospitio prom-  
pte fuit exceptus; & quanquam per angustum temporis  
spatium, quobis vixit, Preceptore privato alio vix uti po-  
tuerit, preter Magnis. Summèque Rev. DN. D. JOH.  
FECHTI-

FECHTIUM, cuius Coll: Historicum Eccles: quod ad Exo-  
cell. DN: L. RECHENBERGII, Summarium per annum  
jam summo cum applausu, ingenique cum fructu DNN.  
Studiosorum habuit, audivit; attamen publicas adire le-  
ctiones reliquorum etiam DNN. Professorum, quod fieri  
potuit, neutquam pretermisit. Reliquum quod mansit  
tempus, in Collegiis nonnullis privatissimis consumit  
miser, qui nunc unam cum laudato DN. BUNSOVIO  
exequias curio, quemque amavit adeo sincere, ut dependere  
planè ipsius animum abs me semper fuerit professus, iisq;  
vel Homileticis, vel Exegeticis, imo mei quoque loco una cum  
aliis Commilitibus dilectiss. in duorum DN. Pastorum va-  
canteris supplendis concionando tum laborantis, verba  
ad populum sacra in templis vice haud simplici fecit ut  
nullum hinc dubium, ut probitate ubiq; inclaruerit planè, sin-  
gularis, sic eruditione quoque solidâ eum nulli tandem ex-  
trisse secundum. Verum enim verò d. XXI. Jan. non  
optimè babere cœpit, quæ corporis invaletudo, post caloris  
algorisque vices haud simplices, in vehementissimum tan-  
dem degeneravit morbum, nec beneficium tantum somni,  
sed & Vires omnes eripuit. Accersitus igitur d. XXV.  
ejusd. fvasum eo Medicus celeberrimus, achujusce Urbis Po-  
litater, DN.D. BERNHARDUS BARNSTORPH,  
mox animadvertisit, quod Febris Epidemia maligna, cum  
delirio quoddam conjuncta, subesset, pharmacaque adhibuit  
contra malum hocce quam fortissima; sed horum vis cùm  
omniis eluderetur, evenit tandem, ut d. XXX. ejusd. ho-  
rà antemeridianâ IX. delirium quoddam percessus, cum  
que hostibus spiritualibus fide verâ collectatus, placide ac  
beatè obdormiret. Discessit autem non sine curâ, & agro-  
ri corporis, præsentibus semper tum memetipso, tum BUN-  
SOVIANA familiâ, tum aliis, qui curam agroti habebant,

& variis

Ob variis anxietatibus pressa anima; ubique enim adstitit et  
conterraneus viriliter & constanter, ex verbo DEI sermones  
cum ipso de variis materiis Theologicis faciendo; adfuit ei  
Vir Summe Reverendus DN. D. POLZIUS, fa-  
luberrimo anima cibo, Corporis ac sanguinis Salvatoris no-  
stri Iesu Christi, ipsum saturando & consolando; quid? quod  
ipse defunctus superato morbo, omnibusque finitis cordis  
engoribus se totum Dei, Christique Salvatoris sui voluntati  
resignavit, atque ultimo vale adstantibus, imprimis mi-  
bis, quod cum osculo simul conjungebat, dicto, mentis sue  
plane compos, inter preces & suspiria, quibus Christum par-  
tim apprehendebat, partim Deum, Gratiamque diuinam  
celebrabat, qualia preprimis erant: Ich hab' mein Sach'  
GOTT heimgestellt Ec. IESU meine Freude Ec.  
Keinen hat Gott verlassen Ec. exspiravit. Desloruit ita-  
que in optimo etatis flore corpus DN: SANDRITTERI,  
(nam piissimam ejus animam in caelis vivere quis dubiter?) nec  
hospiit tantum laudatissimo atque Conierraneo conjunctissi-  
mo, sed & patriae charae, immo omnibus triste sui reliquit de-  
siderium. Attamen infelices parentes, quorum spes cer-  
tissima de horce Filio suo, ipsiusque studiis, concepta in ipsa  
quasi herba supprimitur! Rogamus saltem nos Deum  
immortalem, ut delenifco illos solatio perfundat. & quem  
in via bujus mundi amiserunt filium, in patria caelesti cum  
largo gaudiorum fænorè restituat. Audivistis C. O. O. H.  
quis fuerit piè defunctus noster; quis ortus ejus, nem-  
pe honestissimus, qvæ vita ejus, nempe Christiano ho-  
mine dignissima, qvæ studia, scilicet optima, quis exi-  
tus vitae, scilicet beatissimus, Etenim ut à parentibus  
honestissimis natus, & per lavacrum regenerationis  
seu Baptisnum regno gratiæ diuinæ erat insertus, sic

qvoꝝ


qvoqve in eodem vixit , qvoad vivere ipsi datum est ,  
ut & honestatis & pietatis maximam semper rationem  
duxerit . Qvis est nostrum qui eum aut ab honestatis  
tramite deflectentem , aut voluptatibus hujus mundi  
deditum , ne dicam , iis obrutum , unquam viderit , con-  
tra verò cum afflictionibus , gravissimisqve temptationi-  
bus , qvibus Deus probat suos , eum conflictantem quo-  
tus non vidit ? qvis est nostrum , qui eum vel cum  
male feriatis ac cessatoribus , vel cum indomitis illis  
noctambulonibus , qui discursationibus & boatibus su-  
is nocturnis civium sàpe quietem turbant , unquam  
habuisse commercium audierit , contra verò , cui non  
vita ejus satis modesta , conjuncta cum indefesso labore  
atqve studio , qvò rerum suarum satageret , notissima est ?  
Qvis ergo nostrum esset , qui mortem ejus cum lugen-  
tibus non lugeret ? Qvis tantam spem piis parentibus ,  
inclytæ Patriæ , qvin toti orbi Christiano , ere-  
ptam , cum dolentibus non dolere : ? Qvis militi huic  
Christianio victori , & de omnibus cum corporali-  
bus , tum Spiritualibus hostibus , nunc triumphanti ,  
debitum eumqve ultimum honorem non tribueret ?  
Qvare si hoc in piè defunctum nostrum estis animo ,  
id publicè testatum facietis , & ad deductionem fune-  
ris ejus freqventes confluetis , idqye ad sepulchrum us-  
qve comitari non dignabimini . Cedet hoc optimis  
parentibus atq propinquis b. defuncti mœstissimis  
in solarium , vobisqve in mortalitatis vestræ recorda-  
tionem . Conventus fiet horâ i. in Æde

Mar. d. 6. Martii Anno

M.DC.XCIX.

P.P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus.









¶ variis anxietatibus preesse anima; ubique  
conterraneus viriliter & constanter, è verb  
cum ipso de variis materiis Theologicis fac  
Vir Summè Reverendus DN. D. PO  
luberrimo anima cibo, Corporis ac sanguinis  
ftri Jesu Christi, ipsum saturando & consolando  
ipse defunctus superato morbo, omnibusq  
engoribus se totum Dei, Christique Salvato  
ti resignavit, atque ultimo vale adstantibus  
bi, quod cum osculo simul conjungebat, di  
plāne compos, inter preces & suspiria, quibus  
tim apprehendebat, partim Deum, Gratias  
celebrabat, qvalia præprimis erant: Ich he  
GOTT heimgestellt Sc. IESU mei  
Keinen hat Gott verlassen Sc. exspiravit.  
qve in optimo etatis flore corpus DN: SAN  
(nam piissimam ejus animam in cœlis vivere q  
hospti tantum laudatissimo atque Conierra  
mo, sed & patriæ charæ, imo omnibus tristis  
siderium. Attamen infelices parentes, q  
tissima de borce Filio suo, ipsiusque studiis,  
quasi herba supprimitur! Rogamus sa  
immortalem, ut delenifco illos solatio per  
in via bujus mundi amiserunt filium, in pa  
largo gaudiorum fœnorē restituat. Audivi  
quis fuerit piè defunctus noster; quis o  
pe honestissimus, qvæ vita ejus, nempe  
mine dignissima, qvæ studia, scilicet op  
tus vitæ, scilicet beatissimus. Etenim  
honestissimis natus, & per lavacrum  
seu Baptismum regno gratiæ diuinæ er

